



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **CONSTAT CHRISTIFIDELES BEATAE MARIAE VIRGINIS**
IMAGO, QUAE IN SANCTUARIO MARIALI LOCI
«ŽAROŠICE» INTRA FINES BRUNENSIS DIOECESIS PIE COLITUR, PRETIOSO
DIADEMATE REDIMIRI SINITUR «NOMINE ET AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS» Ad perpetuam rei memoriam. –
Constat Christifideles Moraviae et propinquae Slovachiae Nationis necnon finitimarum Austriae regionum peculiari
veneratione colere decoram imaginem beatae Mariae Virginis, quae inde a saeculo XIV pie custoditur in Sanctuario
mariali loci «Žarošice» intra fines Brunensis dioecesis. Qua re, cum Venerabilis Frater Adalbertus Cirkle, Episcopus
eiusdem Ecclesiae, litteris die XXVI mensis Februarii hoc anno datis, communia cleri populique vota excipiens, petiverit
ut imago, quam diximus, Nostro nomine et auctoritate pretioso diademate posset redimiri, Nos, paternae benevolentiae
signum istis dilectis filiis cupientes praebere, eius Pastoris precibus perquam libenter obsecundandum esse putamus. E
sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, Apostolica potestate
usi concedimus ut memorata beatae Mariae Virginis imago Nostro nomine et auctoritate pretioso diademate possit
coronari secundum probatum liturgicum ritum. Minime vero dubitamus quin concessus honor in religionis bonum
populique spiritualem in profectum sit cessurus pariterque fore confidimus ut ii omnes qui eandem venerantur imaginem
magis magisque incitentur ad colendam praecelsam Dei Genetricem, quae est validissima mediatrix supernorum
munerum, aclaetitia, gloria et auxilium suorum fidelium. Denique volumus ut hae Litterae religiose serventur propriosque
effectus legitime consequantur, contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum*
Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Martii, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo. ANGELUS
card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana